

dinariè indigeat, quod in quibusdam aliis animalibus nõ ita se habet] & vir sine muliere masculum generare. Quæso ubi? in vitro fortè homunculi Paracelsiani? aut in Jovis cerebro? 4. Ignorare videtur [Trevv] quod ad generationem requiratur mixtura seminis masculini, & menstrui sanguinis fœminini atq; fieri coagulum, quod est proxima materia prolis. Mihi verò Watsonius videtur petere principium, imò certus sum quod petat. Statuisse ita Aristotelem & multos hodie idem statuere ipsius discipulos non tantum non ignoro, sed & in annot. ad Theor. 11. physicæ meæ disertè posui & rejeci. Watsonius ergò contra me disputans, stabilire sententiam mihi contrariam prius debebat, antequam eam de novo præsupponeret; nedum ejus quod ipse posueram ignorantiam mihi imputaret. Quid autem obstet quo minus descendere in hanc sententiam possim, eo ipso indicavi, dum meæ sententiæ rationes posui. 5. Unde novit, [inquit iterum Watsonius] quod in utero semē maris absq; menstruo, aut hoc sine illo uniat in massam prolificam. Etsi mihi non deessent argumenta, præsertim si negotium esset ejusmodi de quo ita facile, ac de aliis sine rubore loqui possemus, quibus affirmativam infirmarem. Quia tamen affirmanti incumbit probatio, primas defero Watsonio, & quæro, unde probet præsentiam sanguinis menstrui in conceptione, quam licet Aristoteles posuerit, & quidem ex mera conjectura, quia nimirum organa seminalia apud mulieres ignorans, nihil aliud, quod conferre possent, ostendere potuit. Multi tamen hodiernorum negant. Sed pergit, prævalere viri aut mulieris materiã, ut embryo fiat huius vel illius sexus, nemo negat. Ego verò nego, si mixtionem utriusq; præsupponas, & quibus argumentis id faciam, pauldò ante indicavi, negat etiam quem sequi hic sese profitetur Aristoteles. 4. Pergit, Diversitas sexus, non ex materia qua tali, sed ex eius dispositione & qualitate, prævia natura formatrice deducitur, illa disponit materiam utriusq; parentis debito loco, ut inde fometur mas aut fœmina, Sit ita. Num verò quævis materia omnium dispositionum est capax? & num eadem natura formatrix ex eadem materia [v. g. sanguine menstruo] & virile & muliebri corpus potest elicere? Optimum [pergit] quod ex subiecto fieri potest, intendit ac promovet, Existente maiori debitoq; calore massæ prolificæ, aliisq; requisitis positus nisi quid impediatur, coagulatur ista massa in foetum masculum; si verò calor aliquantulum deficiat commodioraq; adsint media ad sequiorem sexum, producitur ialis proles. Petitionem principii & fallaciam secundum plures interrogationes